



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

4. Cur satan lobo vxorem & linguam, sine plaga reliquerit?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

panniculique, quibus purulentum cruorem abstergeret, coactus est testa saniens radere sedens in sterquilinio. Vt maior esset dolor, velut unguem in ulcere verteret, aspera testa, pro tenui strophio usus est. *Quale*, inquit Tertullianus, *in illo viro feretrum ( seu tromphum ) DEVS de diabolo extruxit ? quale vexillum extulit ? cum ille homo ad omnem acerbum nuntium nihil ex ore promeret, nisi DEO gratias ? cum uxorem iam malis delassatam, & ad praua remedia suadentem execraretur ? Quid ? sane ridebat DEVS, dissecabatur malus ( satan ) cum Iob immundam corporis sui redundantiam, magna equanimitate distringeret ; cum erumpentes bestias inde in eosdem specus & pastus foraminose carnis ludendo reuocaret.*

Hic rursus duas aduerto Stygij prædonis astutias. I. Cum ad Iobi cruces augendas oues, boues, camelos, seruos, liberos, & omnem substantiam eius sustulisset, reliquisse tamen illi uxorem pessimam; quæ cum eum solari, curareque deberet, tanquam Xantippe aliqua irridebat, ad iram impatientiamque prouocabat: ut non tantum haberet, quod pateretur, sed etiam viperam, à qua morderetur, & ad blasphemandum incitaretur. 2. Is, qui à planta pedis, usque ad verticem eum percussit, unam ex omnibus membris linguam communi ulcere, & plaga exemptam seruauit, ne maledicendi instrumentum, à blasphemij cohiberetur, plaga percussum. Hinc ait ipse Iob: *Derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.* Labia & linguam illi reliquit, ut vaginam & gladium in promptu haberet, si fieret furiosus. Sed in his omnibus, *non peccauit Iob labijs suis.* Duo autem sunt, quæ illi maximam patientiæ materiam in corpore suppeditauerunt; nimirum multitudo & magnitudo morborum. Ut enim carnifex peritus, ita satan varia atque exquisita tormenta excogitauit, quibus fortissimum virum, ad superos execrandos impelleret.

De multitudine ita loquitur Origenes: *Nullum dereliquit supplicium, neque pœnam, neque dolorem, putredinem, vermes, offitium diuisionem, nervorum fatigationem, membrorum debilitationem, atque totius carnalis compaginis passionem, atque dolorem: jacere non poterat, sedere non valebat.* Igitur singula membra Iobi singulis ac peculiaribus morbis infestata fuerunt. Quod insinuat illis

Y y

verbis:

IV.

Iob. 19. 20.

Iob. 2. 10.

V.